

DE DVODECIM
LIBER SECVNDVS

DE IVDICIIS NATIVITATVM

CLARISSIMI MATHEMATICI D.

Ioannis Schoneri Caroloftadij, Professoris di-

uinæ Matheseos in Celebri Germaniæ

Noriberga, in quo tractantur

hæc Capita.

Caput primum erit de significatis duodecim domorum, item de significatis triplicitatum atq; partium earundem.

Caput secundum, de coniunctionibus & aspectibus planetarum ad inuicem in natiuitatibus.

Caput tertium, de significatis dominorum domorum in duodecim domibus cœli.

Caput quartum, de significatis planetarum in duodecim domibus cœli.

Caput quintum, de significatione planetarū in domibus proprijs uel aliorum.

Caput sextum, de significationibus dominorum ascendentis in figura cœli.

CAPVT PRIMVM.

De prima domo.



CIENDVM autem primo, quod in partibus siue for-
tibus non oportet nimium curiosum esse Astrologum,
ut plus sapere uelit quam oporteat, maxime cum partes
omnes secundariam semper à planetis habeant signifi-
cationem, unde nec tantum illis fidei adhibendum, ut
plus eas ualere credamus quam planetas, à quibus de-
pendent. Quare ante omnia considerandum erit, quo-
modo se habeant significatores, à quibus desumptæ sunt,
quomodo item domini ipsorum locorum affecti sint in
se, & cum alijs, atq; cum partibus ipsis. Si enim princia-
pia, à quibus emanarunt, foelicia sint & bene locata, fue-
rintq; domini earum fortes, ac fortunato aspectu colla-
gati cum partibus ex natiuitatibus similiter in loco idoneo, & à bonis illustrati, nec
aliter impediti, iudicandum erit bonum à significatis per partes. Contrà uerò di-
cendum, si fuerit contraria dispositio, nec facile proferatur de parte aliqua iudicium,
nisi fuerint prius omnia bene collata. Nam per se partes omnes modici uigo-
ris existunt, si non fuerint aliunde firmatæ. Idem iudicium erit de dominis triplicita-
tum, & de minus principalibus significatoribus, sicut pro morte gradus septime do-
mus, & eius dominus. Item primus dominus triplicitatis octauæ domus, sunt signi-
ficatores minus principales mortis qui augent, uel aliquid adimūt à significatis prin-
cipalium significatorum. Sic etiam intelligendum de alijs minus principalibus si-
gnificatoribus, ut uidere licebit in genitura supra de qualitate mortis, in qua pri-
mus dominus triplicitatis mortis Saturnus fortis, & bene dispositus fuerat in quar-
ta domo

A domo in cuius de
partibus siue
fortibus. & de
partibus in can-
tionibus.